

PRIMA PARS.

De longitudine terrestri,
Caput VII.

Longitudo loci (Vernero alludente) est æquatoris siue æquinoctialis circuli segmentum meridiano eiusdẽ loci, & fortunatarũ insularum meridiano, compræhensum. Quia veteres illi Geographi superficiẽ terræ describere, & ex stadiasmo, locorum intercapedines inquirere volentes: posuerunt primũ longitudinis gradũ in occidente, hoc est, in fortunatis insulis, quæ nunc Canariæ appellãtur, deinde secundum numerorum successum, per meridiẽ in orientem, telluris ambitum gradatim depingebant. Quam inquam longitudinem in plano typo (quem mappam vocant) vt sequitur, Hebraicis literis (quia longitudo, si notũ respexerimus, a dextris sinistrã versus hebraico more dirigitur) Helicha Haaretz, quod sonat, transitus seu via terræ, intitulauimus. Qua autẽ via vniuscuiusq; loci longitudo sit cõperienda, in sequẽtib; propositionibus breuitate quadam docebimus. Alias vero, deo opitulãte, in nostro astrolabio, plano quoq; Metheroscopio ex nostro Matheseos disciplinae scrinio longe exactius in lucem ædere decreuimus. Qualiter autẽ in plana nostra designatione, in corpore etiam solido, orbis longitudo sit exploranda in præsentiarũ absoluo. Longitudo itaq; distinguitur meridianis, qui circa polos cõcurrunt. Vnde gradus mẽsurantes arcum æquatoris, inter primũ longitudinis gradum (qui occidentem claudit) & meridianum, qui transit per locum tuæ habitationis, gradus longitudinis vocantur.

Ecce Figuram extensam in plano.

